FRAGMENTA

LIBRORUM PONTIFICIORUM

COLLEGIT ET DISPOSUIT

PAULUS PREIBISCH.

TILSAE

TYPIS J. REYLAENDERI ET FILII

MDCCCLXXVIII.

Fragmenta librorum pontificiorum.

Librorum, qui ab antiquis scriptoribus adscribuntur pontificibus Romanis, summis religionum Romanarum arbitris, reliquias ante nonnullos annos collegi, mox in dissertatione inaugurali (*Quaestiones de libris pontificiis. Vratislaviae* MDCCCLXXIV) de eis disserui. Annales maximos pontificum, ut ad religiones Romanas, quibus tunc temporis operam navabam, nullius aut parvi momenti, non minus omisi quam librorum pontificiorum eam partem, quae indigitamenta nominantur, quoniam de his vir doctissimus Ambrosch multo ante uberrime ac luculenter scripsit.*) Ego quidem ipsa fragmenta etiamtunc typis mandare non potui, nunc praefandi occasione data ea non diutius in scriniis latere sinam. Ne vero ante dicta largius repetam, breviter tantum memoro, in disponendis fragmentis librorum pontificiorum, quatenus non verba singularia sunt, secutum me esse eum ordinem, qui antiquitatibus divinis a M. Terentio Varrone conscriptis suberat secundum Augustinum de civ. dei VI, 3. Varro in illis libris secundum testem, quem modo dixi, primum egit de hominibus, tum de locis, deinde de temporibus, denique de sacrorum ratione.

Iam cum homines, qui in sacris faciendis necessarii sunt, potissimum sacerdotes intellegendos esse appareat, in fronte posui ea fragmenta, quae ad sacerdotes spectant.

A. De sacerdotibus.

De flamine Diali deque flaminica.

1.

Veteri enim religione pontificum praecipiebatur, inaugurato flamini vestem, quae laena dicebatur, a flaminica texi oportere: quam vestem cum cultro, quae secespita appellabatur, uti debere. — Serv. ad Verg. Aen. IV, 262.

2.

Vinctum, si aedes eius (scil. flaminis Dialis) introierit, solvi necessum est et vincula per impluvium in tegulas subduci atque inde foras in viam demitti. Nodum in apice neque

*) Ambrosch über die Religionsbücher der Römer, Bonn 1843.

1. *uti* — alia lectio *geri*.

2. Coniunxi inter se haec duo praecepta, quae etiam apud Gellium ita coniuncta leguntur, quia praeceptum de vincto sequi videtur ex illo praecepto de nodis. —

in cinctu neque in alia parte ullum habet. — Gell. X, 15, 8. 9. ex libris qui de sacerdotibus publicis compositi sunt et ex Fabii Pictoris*) librorum primo.

2.A.

Sane saepe dictum est, Virgilium inventa occasione mentionem iuris pontificalis facere in quacunque persona. Antiquis itaque caerimoniis cautum erat, ne vinctus flaminiam introiret: si introisset, solveretur vinclaque per impluvium effunderentur inque viam publicam eicerentur. — Serv. Aen. II, 57.

3.

Veteri caerimoniarum iure praeceptum est, ut flaminica venenato operta sit..... Praeterea flaminicam habere praecipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam. — Serv. Aen. IV, 137.

4.

Tunica intima, nisi in locis tectis non exuit se (scil. flamen Dialis). — Gell. X, 15, 20; cf. ea quae ad fr. 2. adnotavi.

5.

Sine apice sub divo esse licitum non est (sc. flamini Diali). — Gell. X, 15, 17, ut supra.

6.

Capillum Dialis nisi qui liber homo est, non detonset. — Gell. X, 15, 11.

7.

Equo Dialem flaminem vehi religio est. — Gell. X, 15, 3.

8.

Scalas [nisi] quae Graecae appellantur, ascendere ei (sc. flaminicae Diali) plus tribus gradibus religiosum est. — Gell. X, 15, 29.

9.

Pedes lecti, in quo cubat (sc. flamen Dialis) luto tenui circumlitos esse oportet et de eo lecto trinoctium continuum non decubat neque in eo lecto cubare alium fas est neque *** Apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. — Gell. X, 15, 14.

10.A.

Classem procinctam extra pomerium id est exercitum armatum videre (scil. religio est flamini Diali).... Capram et carnem incoctam et hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. Propagines e vitibus altius praetentas non succedit.... Farinam fermento imbutam attingere ei fas non est. — Gell. X, 15, 4. 12. 13. 19.

10.B.

Sane his versibus „Tum Cererem corruptam undis“ et „Torrere parant“ etc. ius pontificum latenter attingit. Flamines autem farinam fermentatam contingere non licebat. — Serv. Aen. I, 179.

10.C.

Sane hoc videtur secundum caerimonias flaminum subtiliter dixisse; flamini enim nisi unum mortuum non licet tangere. — Serv. Aen. XI, 76.

*) Fabii Pictoris libros de iure pontificio intellegendos puto, quorum tertius commemoratur a Non. Marc. s. v. picumnus p. 518. Ceterum omnia fragmenta, quae ex hoc capite Gellii (X, 15) attuli, sumpta sunt, ut ad fr. 2. adnotavi, „ex libris qui de sacerdotibus publicis compositi sunt et ex Fabii Pictoris librorum primo“. Conferas velim, quae de hoc loco protuli in *Quaestt. de libr. pontif.* pp. 11 sqq

4. *Tunicam intimam* om. voc. *se* Gron.

9. *cubare alium* Gronov., *cubare ne[que] alium* Hertz.

10.A. *praetentos* Gronov. *succidet* Gronov.

10.D.

Quidam volunt hoc secundum veterem caerimoniarum ritum adverti debere, quod flamini Diali mensis inanis non apponebatur. — Serv. Aen. I, 706.

11.A.

Uxorem si amisit (sc. flamen Dialis), flaminio, decodit. Matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est. — Gell. X, 15, 22. 23.

11.B.

Caerimoniis veterum flaminicam nisi unum virum habere non licet..... nec flamini aliam ducere licebat uxorem, nisi post mortem flaminicae uxoris. — Serv. Aen. IV, 29.

11.C.

Quae res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam iure pontificio in matrimonium necesse est convenire. — Serv. Aen. IV, 103.

12.

Iurare Dialem fas nunquam est. — Gell. X, 15, 5.

13.

Unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. — Gell. X, 15, 15.

14.A.

Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius (scil. flaminis Dialis) supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. — Gell. X, 15, 10.

14.B.

Iure autem pontificali, si quis flamini pedes vel genua fuisset amplexus, verberari non licebat. — Serv. Aen. III, 607.

De pontificibus deque virginibus Vestae.

15.

In libro primo Fabii Pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capiat, scriptum est. Ea verba haec sunt: „Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quae optima lege fuit, ita te, Amata, capio.“ — Gell. I, 12, 14.

16.

Minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam negaverunt capi (scil. virginem Vestae) fas esse; item quae non sit patrima et matrima; item quae lingua debili sensuve aurium deminuta aliave qua corporis labe insignita sit; item quae ipsa aut cuius pater emancipatus sit, etiamsi vivo patre in avi potestate sit; item cuius parentes alter ambove servitutem servierunt aut in negotiis sordidis versantur. Sed eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta est, excusationem mereri aiunt; item cuius pater flamen aut augur aut quindecimvirum sacris faciundis aut septemvirum epulonum aut Salius est. Sponsae quoque pontificis et tubicinis sacrorum filiae vacatio a sacerdotio isto tribui solet. Praeterea Capito Ateius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non ha-

15. *capiat] capit* Gronov.

Ad fr. 16—18 conf. *Quaestt. de libr. pont.* p. 14 sq.

16. *deminuta] diminuta* Gronov. *versantur] diversantur* Gronov. ante *septemvirum* praebet Gron. *qui*.

beret, et excusandam eius, qui liberos tres haberet. — Antist. Labeo et Ateius Capito ap. Gell. I, 12, 1—8.

17.

Virgo autem Vestalis simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris potestate exit et ius testamenti faciundi adipiscitur. — Ateius Capito ap. Gell. I, 12, 9.

18.

„Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur“ lex fixa in atrio Libertatis. — Cato apud Festum p. 241 Mueller.

19.

In commentariis sacrorum usurpatur (scil. vocabulum nectendi) hoc modo: „Pontifex minor ex stramentis napuras nectito“. — Fest. p. 165.

De fetialibus.*)

20. A.

Legatus (scil. pater patratus) ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato filo — lanae velamen est — „Audi Iuppiter“, inquit, „audite fines“ — cuiuscunque gentis sunt nominat — „audiat fas! Ego sum publicus nuntius populi Romani; iuste pieque legatus venio verbisque meis fides sit.“ Peragit deinde postulata; inde Iovem testem facit: „Si ego iniuste impieque illos homines illasque res dedier mihi exposco, tum patriae compotem me nunquam siris esse.“ — Liv. I, 32, 6. 7.

20. B.

Bellum ita indicit (sc. pater patratus): „Audi Iuppiter et tu Iane Quirine diique omnes caelestes vosque terrestres vosque inferni audite! Ego vos testor, populum illum“ — quicunque est nominat — „iniustum esse neque ius persolvere. Sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur.“ — Liv. I, 32, 10.

20. C.

Fieri solitum, ut fetialis hastam ferratam aut sanguineam praeustam ad fines eorum ferret, et non minus tribus puberibus praesentibus diceret: „Quod populi Priscorum Latinorum hominesque Prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum Priscis Latinis iussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit consensit conscivit, ut bellum cum Priscis Latinis fieret, ob eam rem ego populusque Romanus populis Priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis bellum indico facioque.“ — Liv. I, 32, 12. 13.

21.

Cincius in libro tertio de re militari, fetialem populi Romani bellum indicentem hosti-

---

19. cf. Fest. p. 169.

napuras corr. Ant. Aug. in mg. cl. Fest. 169: napuras nectito etc. Cod. habet *naturas*. *ex stramentis] extramentis* cod.

*) De fragmentis ad fetiales pertinentibus verba feci in *Quaestt. de libr. pont.* pp. 15 sq.

20. A. *res dedier mihi* codd. optimi, Mediceus et Wormaciensis prima manus; *res po. Ro. dedier mihi* Worm. sec. man.; *res dedier pr. mihi* Paris. et Bamberg.; *res dedier pr. mi* Helmstad.; *res dedier mihi populoque R.* Drakenb. Ceterum quibus de causis hunc locum et qui sequuntur usque ad fr. 24, in collectionem fragmentorum receperim, explicavi in *Quaestt. de libris pontif.* p. 15 sqq.

20. B. *Iane* Perizonius; *Iuno* codd.

20. C. *hominesque* Sigonius; *homines* cod. Med.; alii codd. *hominesve*.

bus telumque in agrum eorum iacientem hisce verbis uti scripsit: „Quod populus Hermundulus hominesque populi Hermunduli adversus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum iussit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum indico facioque." — Gell. XVI, 4, 1.

22.

Fetialis regem Tullum ita rogavit: „Iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire?" Iubente rege „Sagmina", inquit, „te, rex, posco". Rex ait: „Puram tollito." Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea regem ita rogavit: „Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium, vasa comitesque meos?" Rex respondit: „Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio." Fetialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fusium fecit verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est sanciendum fit foedus, multisque id verbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Legibus deinde recitatis: „Audi," inquit, „Iuppiter, audi, pater patrate populi Albani, audi tu, populus Albanus: ut illa palam prima postrema a me ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio dolo malo, tum tu, ille Diespiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque." Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. — Liv. I, 24, 4—9.

23.

Rex interrogavit: „Estisne vos legati oratoresque missi a populo Conlatino, ut vos populumque Conlatinum dederetis?" „Sumus." „Estne populus Conlatinus in sua potestate?" „Est." „Deditisne vos populumque Conlatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani dicionem?" „Dedimus." „At ego recipio." — Liv. I, 38, 2.

24.

A. Cornelius Arvina fetialis ita verba fecit: „Quandoque hisce homines iniussu populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo." — Liv. IX, 10, 9.

De augure.

25.

Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit (scil. Picus): et domi habuit picum, per quem futura noscebat: quod pontificales indicant libri. — Serv. Aen. VII, 190.

---

21. *indico* Gron., *dico* cum codd. Hertz. Cf. fr. 20 C extr., ex Livio sumptum.

22. Pertinent haec ad foedus, quod Romani cum Albanis percusserunt. — *postrema a me* coniecit Heerwagen (Münch. Gel. Anz. XVI, 667). Codd. Wormac. et Flor. S. Marci praebent *postrema* omissis verbis *a me*, sed complures alii codd., in quibus Med. et Paris. *postremū*, id quod ex *postrema a me* nosci poterat, cum si bis eadem littera scribenda erat, facile altera omitteretur; nam vocabulum quod subsequitur *ex*, et ipsum incipit a littera e. — *tum tu* cod. Mureti, *tum* vel *tu* reliqui codd. — *ille Diespiter* sec. manus et Med. et Wormac.; cod. Med. prima manus praebet: *ille dies iuppiter*, sed *iup* expunctum, *ille* in *illo* mutatum; Wormac. prima manus *ille dies iuppiter;* item Parisinus et Bamberg.; *illo* (sive *illa*) *die iuppiter* libri recentiores.

23. Est formula, qua Collatiam a Romanis in deditionem acceptam esse Livius tradit. Verisimile est, aut eam formulam a fetialibus compositam aut eis demandatum fuisse, ut illa verba rite proferenda curarent. Cf. *Quaestt. de libr. pont.* p. 17.

24. Est formula deditionis, qua Romani suos duces, qui apud Caudium spoponderant foedus cum Sabinis, dedebant.

B. Fragmenta ad loca sacra spectantia.

26.

[Sacella Argeorum sunto numero XXIV disposita regionibus quatuor. Prima est regio Suburana, in qua

Caelius mons, princeps * *
* * deinceps * *
* * terticeps * *]

(§. 47.) Ceroliensis, quarticeps circa Minervium qua in Caeliomontem iter in Tabernola est.

[* * quinticeps * *]
[Subura, sexticeps * *]

[Secunda regio est Exquilina, in qua]

(§. 50.) Oppius mons, princeps Exquilis ouls lucum Facutalem; sinistra via secundum moerum est.

[Oppius mons, deinceps * *]
Oppius mons, terticeps cis lucum Exquilinum, dexterior via in Tabernola est.
Oppius mons, quarticeps cis lucum Exquilinum, via dexterior in Figulinis est.
Cespius mons, quinticeps cis lucum Poetelium * * * Exquilinis (?) est.
Cespius mons, sexticeps apud aedem Iunonis Lucinae, ubi aeditumus habere solet.

[Tertia regio est Collina, in qua

Collis Viminalis, princeps * *
Collis Viminalis, deinceps * *]

(§. 52.) Collis Quirinalis, terticeps cis aedem Quirini.

Collis Salutaris, quarticeps, advorsum est Apollinar, cis aedem Salutis.

Collis Mutialis, quinticeps apud aedem Dei Fidi in delubro, ubi aeditumus habere solet.

Collis Latiaris, sexticeps in vico Insteiano summo, apud auguraculum; aedificium solum est.

---

26. Sunt fragmenta Argeorum, quae vocantur. Quae signis [] includuntur, ex coniectura addita sunt. Uberrime de hoc loco egit Jordan (*Topogr. der Stadt Rom* pp. 237 sqq.). Velim etiam conferas, quae ego protuli (*Quaestt. de libr. pont.* pp. 19—25).

§. 47. *in Caeliomontem* Jordan pro codicum *e Caelio monte*. — *iter* iam Muellerus coniecit, *itur* codd. — Ad verba *[Subura sexticeps]* cf. Varro V, 48.

§. 50. *Exquilis ouls* emendavit Muellerus ex Florent. cod. scriptura *exquilisouts*; *quilisotus* cod. Gothanus; *quilistyotus* Paris. I; *quilistius* Paris. II; *quilisonts* Paris. III; *quisotus* Havniensis. — *lucum* vulgo; codd. et hic et infra fluctuant inter *lucum* et *latum*. — *Facutalem] facultalem* Flor., Havn., Paris. III (sec. Muell.). — *via* Sciopp.; *quae* codd. — *terticeps cis* coni. Mueller. ex codicum *terticepsois*, *terticeps ois*, *tertocepsois*. — *via dexterior* vg.; *viam dexteriorem* codd.

*[Collis Viminalis princeps * *, collis Viminalis deinceps * *]* supplenda videntur ex eis, quae Jordan l. l. p. 263 protulit.

terticeps cis] Flor., Goth., Havn., Paris I. praebent *terticepsois*; Par. II *anticeps*; Par. III *anticepsois*.

Apollinar cis coniecit Mueller; *polinaris* Goth.; *pilonarois* Flor. et Havn., *pilonaris* Par. I, *pilomātis* Par. II.

Mutialis seu *Mucialis* codd., *Martialis* Scaliger, quem secutus est Mueller.

Dei Fidi Goth.; *defidi* Flor. Par. III; *deidefidi* Par. I. II.

Latiaris vulgo; *latiores* Flor. Goth.; *latioris* Havn. Par. I. III.; *lactoris* Par. II.

Insteiano scripsi cl. Liv. XXIV, 10: *in vico Insteio*; codd. praebent *Instelano*.

auguraculum Turnebus; auraculum † codd.

[Quarta regio est Palatina, in qua
Palatium princeps * *
Palatium deinceps * *
Palatium terticeps * *
Palatium quarticeps * *]

(§. 54.) Germalus quinticeps apud aedem Romuli.
Veliae sexticeps apud aedem deum Penatium in Velia. — Varro de lingua lat. V, 46—54.

27.

Ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi quom bellum sit nusquam. — Varro de l. l. V, 165.

28.

„Is cum eat, suffibulum haud habeat“ scriptum. — Varro de l. l. VI, 21.

29.

Pellex aram Iunonis ne tangito; si tanget, Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito. — Lex Numae ap. Paul. p. 222.

30.

In aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus: „Ne quid scorteum adhibeatur ideo ne morticinum quid adsit.“ — Varro de l. l. VII, 84.

C. De temporibus.

a. Fragmenta ad ferias universas spectantia.

31.

Quamquam pontifices negent, segetem feriis saepiri debere. Vetant quoque lanarum causa lavari oves, nisi propter medicinam . . . . . Feriis autem ritus maiorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare, vineam conductam colere, piscinas, lacus, fossas veteres tergere et purgare, prata sicilire, stercora aequare, foenum in tabulata componere, fructus oliveti conductos cogere, mala, pira, ficos pandere, caseum facere, arbores serendi causa collo vel mulo clitellario adferre; sed iumento advehere non permittitur nec apportatas serere neque terram aperire neque arborem collucare. Sed ne sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris, nec foenum secare aut vincire aut vehere: ac ne vindemiam quidem cogi per religiones pontificum feriis licet: nec oves tondere, nisi si catulo feceris. Defrutum quoque facere et defrutare vinum licet. Uvas itemque conditui legere licet. Pellibus oves vestiri non licet. In horto quicquid olerum causa facias, omne licet. — Colum. de re rust. II, 22, 2—4.

[*Quarta regio* est.] cf. meas *Quaestt. de libr. pont.* p. 23.

Germalus coniecit Jordan pro codicum *Germalense*.

Veliae scripsi pro Jordani *Velia*, quod in eadem paragrapho et antecedit et subsequitur *Veliae* plurali numero; *Veliense* codd.

27. Agitur de porta Ian[illegible]li.

Is scil. sacerdos publicus. — *eat* scil. ad sacrarium Opis Consiviae. — *haud* vulgo; *aut* codd.

29. De legibus Numae huc referendis disserui in *Quaestt. de libr. pont.* p. 4. — *demissis* cod. Guelferb., vg., Lindemann; *dimissis* cett. codd. — *agnum* Berol. et Lips. codd., vg.; *agnam* boni codd., Lindem. Vide Muellerum ad h. l. et Paul. p. 6 s. v. agnus.

31. *iumento* Lipsius, *iuncto* codd. — *apportatas* scripsi, *apportata* codd.

31.A.

Cavetur enim in iure pontificio, ut quoniam oves duabus ex causis lavari solent, aut ut curetur scabies aut ut lana purgetur, festis diebus purgandae lanae gratia oves lavare non liceat, liceat autem, si curatione scabies abluenda sit. — Macrob. Sat. III, 3, 11.

b. Fragmenta ad ferias privatas spectantia.

32.A.

Cautum in libris sacris est, feriis denicalibus aquam in pratum ducere, nisi legitimam, non licet, ceteris feriis omnes aquas licet deducere. — Serv. Georg. I, 272.

32.B.

Nos apud pontifices legimus, feriis tantum denicalibus mulos iungere non licere, ceteris licere. — Colum. de re rust. II, 22, 5.

33.

Verba Atei Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio iure composuit, scripsi: Tib. Coruncanio pontifici maximo feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. Collegium decrevit, non habendum religioni, quin eo die feriae praecidaneae essent. — Gell. IV, 6, 10.

34.

Ita enim est in commentariis pontificum: Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant et antequam in vaginas perveniant. — Plin. nat. hist. XVIII, 3, 14.

35.

Eas ferias si quis polluisset piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam „si deo si deae“ immolabant; idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit, quoniam et qua vi et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset. — Gell. II, 28, 3.

c. Fragmenta ad ferias publicas pertinentia.

36.

Feriis publicis hominem mortuum sepelire non licet (scil. per religiones pontificum). — Colum. de re rust. II, 22, 4.

37.A.

Pontifices decreverunt, nullum his diebus sacrificium recte futurum. — Gell. V, 17, 2.

37.B.

Pontificesque statuisse postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos, ut hi dies neque proeliares neque puri neque comitiales essent. — Macrob. Sat. I, 16, 24.

D. De sacrorum ratione.

38.

In libris sacrorum refertur, sacrum dici, quod rite sacratur, ut aedes, arae, simulacra, dona. — Serv. Ecl. VII, 31.

31.A. *enim intg. pontificio* cod. Bamberg. — pro *abluenda sit* praebet cod. Paris. *adhibenda sit.*

35. *Eas ferias]* Gellius dicit ferias ob terrae motum habitas.

37.A. *his diebus]* scil. postridie Idus, Kalendas, Nonas; cf. fragm. 37.B.

37.B. *proeliares]* cod. Paris. *p̄liales.* — Cum hoc et antecedenti loco non congruit locus, qui legitur apud Paulum p. 179: „Nonarum, Iduum, Calendarum dies nuptis alieni habentur, quoniam hi dies decreto pontificum atri iudicati sunt.“ Sed Paulum puto non intellexisse verba Festi dicentis, istos dies nuptiis alienos esse, quod dies vel Idus vel Nonas vel Kalendas sequens ater ideoque sacrificio a nova nupta obeundo non idoneus esset. Itaque hunc locum, quamquam decretum pontificum adfertur, in fragmentorum collectionem non recepi.

38. *arae* scripsi pro *areae* cl. Fest. p. 321.

39. A.

Sciendum, inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur, quae tamdiu dona dici possunt, quamdiu non profanentur. — Serv. Aen. III, 287.

39. B.

Quae (scil. dona) tamdiu dona dici poterant, quamdiu non profana fierent, sicuti in libris sacrorum refertur. — Serv. Aen. IX, 408.

40.

In sacris tamen legitur posse etiam opera consecrari ex servis, usque dum solvatur caput hominis, i. e. liberetur sacrationis nexu. — Serv. Aen. XI, 558.

41.

Habetis in commentariis vestris, C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium rettulisse eique M. Aemilium, pontificem maximum, pro collegio respondisse, nisi cum populus Romanus nominatim praefecisset atque eius iussu faceret, non viderier recte posse dedicari. — Cic. de domo sua 53, 136.

42.

Cum Licinia, virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino Q. Metello consulibus aram et aediculam et pulvinar sub saxo sacro dedicasset, non eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Iulius praetor rettulit? Cum P. Scaevola, pontifex maximus, pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia, Gai filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non viderier. — Cic. de domo sua 53, 136.

43.

Cum pontifices decressent ita: „Si neque populi iussu neque plebi scitu is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset neque populi iussu aut plebi scitu id facere iussus esset, videri posse sine religione eam partem areae M. T. restitui“ etc. — Cic. ad Att. IV, 2, 3.

44.

Moram voto publico Licinius pontifex maximus attulit, qui negavit ex incerta pecunia vovere debere, quia ea pecunia non posset in bellum usui esse, seponique statim deberet nec cum alia pecunia misceri; quod si factum esset, votum rite solvi non posse. Quamquam et res et auctor movebat, tamen ad collegium pontificum referre consul iussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi. „Posse rectiusque etiam esse“ pontifices decreverunt. — Liv. XXXI, 9.

45.

Senatus pontificum collegium consuli iussit, num omne id aurum in ludos consumi ne-

---

41. Alloquitur Cicero pontifices. — *viderier* conieci comparans verba, quae subsequuntur (fr. 42); *videri ea* codd.; *videri eam* Baiter.

42. Sane rem in commentariis pontificum non ut apud Ciceronem rhetorice prolatam, sed simpliciter enarratam esse putandum est. Ipsum decretum pontificum, ut in superiore fragmento, satis accurate traditum videtur esse.

43. *populi iussu] populuus* cod. Medic. — *plebi scitu is qui] plebescitius qui* cod. Med. — *ei rei] et rei* cod. Med. — *populi iussu aut plebi scitu] populuus sua ut plebis citu* cod. Med. — *areae M. T.* (M. Tullio) Ursinus; *ara emi* cod. Med.

44. Agitur de ludis et dono, quae ante bellum Macedonicum a. 200 a. Chr. vovere volebant. In commentariis pontificum tantum decretum collegii scriptum fuisse verisimile est; sed contrariam pontificis maximi sententiam omittere nolui, praesertim cum verba *„posse rectiusque etiam esse“* alioqui intellegi nequeant.

cessum esset. Cum pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret, senatus etc. — Liv. XXXIX, 5.

46.

Votum in haec verba, praeeunte P. Licinio pontifice maximo, consul nuncupavit: „Si duellum, quod cum rege Antiocho sumi populus iussit, id ex sententia senatus populique Romani confectum erit, tum tibi, Iuppiter, populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet, donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreverit. Quisquis magistratus eos ludos quando ubique faxit, hi ludi recte facti donaque data recte sunto.“ — Liv. XXXVI, 2.

47.

L. Cornelius Lentulus pontifex maximus consulente collegium praetore omnium primum populum consulendum de vere sacro censet: iniussu populi voveri non posse. Rogatus in haec verba populus: „Velitis iubeatisne haec sic fieri? Si res publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim voveamque, salva servata erit hisce duellis, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quaeque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpis sunt, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quaeque profana erunt, Iovi fieri, ex qua die senatus populusque iusserit. Qui faciet, quando volet quaque lege volet, facito; quo modo faxit, probe factum esto. Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto neque scelus esto. Si quis rumpet occidetve insciens, ne fraus esto. Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit. Si atro die faxit insciens, probe factum esto. Si nocte sive luce, si servus sive liber faxit, probe factum esto. Si antidea senatus populusque iusserit fieri ac faxitur, eo populus solutus liber esto.“ — Liv. XXII, 10, 1—6.

48.

Ver sacrum factum erat priore anno, M. Porcio et L. Valerio consulibus. Id cum P. Licinius pontifex non esse recte factum collegio primum, deinde ex auctoritate collegii

---

46. Est votum ab Acilio Glabrione consule ad bellum Syriacum profecturo pro populo Romano susceptum.

47. Agitur de voto, quod vocatur ver sacrum. — *collegium praetore* emend. Lipsius; *collegio praetorum* codd. Puteanus, Colbertinus, alii; *collegio praetoris* cod. Medic. — *sicut velim voveamque, salva servata erit* Madvig, Emendatt. Liv.; *sic velim eāmque salvam servaverit* codd. Put., Med., alii; *sic velim eā si saluam servaverit* cod. Colbertinus; *sic validam salvamque servaverit (servaverint)* codd. recc.; *sicut velim eam, salva servata erit* Ursin.; *sicut mea, quae salva est, servata erit,* vel *si urbs Roma, quae salva est, servata erit,* vel *sicuti maxime cum salva est servata erit* J. Fr. Gronov.; *sicut velim eam esse salvam, servata erit* M. Haupt, Ber. d. sächs. Ges. d. W. ph. Cl. 1850; *siet ut velim eamque salvam servaverit* dedit Weissenborn. — *hisce bellis* cod. Colbert. — *quod uellum* cod. Put. — *quaequeuellacumcallissuntquiuicis* cod. Put.; *queque vel lacū gallis sunt qui uicis* cod. Colbert.; *q. b. c. gallis s. quive cis* Alschefski. — *datum donum* codd. plerique; *donum datum* unus ex recentioribus; *votum donum* Sigonius; *latum donum* Lipsius; *tum donum* Madvig. Ceterum verba *datum d. d. p. R. Quiritium*, quae in codicibus leguntur post vv. *hisce duellis*, a Lipsio in eum locum, ubi nunc leguntur, translata sunt. — *exuillo* cod. Put.; *exui illo* Colbert. — *caprinonouillo* (*bovillo* apud Gronovium) *graege* cod. Put. et recc.; *cap(i* super p)*no nouello grege* cod. Colb.; *caprino ouillo* recc., Sigonius. — *faxi* Put., Med. — *neque scelus esto cui coeptum erit*, reliqua om. cod. Cantabr. — *clepset* Put., Med., alii; *cleps. et* Colbert. — *cui coeptum* Put., Med., Cantabr., all.; *cui ceptū* Colbert. — *prope factum* Put., Colb. — *si in nocte* Cantabr. — *antidea* Lips.; *ante id ea* Put., Colb., all. — *ac factitur* Med.

48. Hunc locum inter fragmenta librorum pontificiorum recepi, quia cum Bouché-Leclercq (*les Pontifes de l'ancienne Rome* p. 168) puto, in illo senatus consulto, quod Livius commemorat, decretum pontificum latere, praecipue in eis verbis, quibus quid ver sacrum videatur esse exponitur.

patribus renuntiasset, de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt, ludosque magnos, qui una voti essent, tanta pecunia, quanta adsoleret, faciendos. „Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Kal. Martias et pridie Kal. Maias P. Cornelio et Ti. Sempronio consulibus.“ — Liv. XXXIV, 44.

49.

Pontifex eum togam praetextam sumere iussit et velato capite, manu subter togam ad mentum exserta super telum subiectum pedibus stantem sic dicere: „Iane, Iuppiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novensiles, di Indigetes, divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque, diique manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti populo Romano Quiritium vim victoriamque prosperetis hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine morteque adficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro re publica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium legiones auxiliaque hostium mecum deis manibus Tellurique devoveo.“ — Liv. VIII, 9, 5—8.

50.

Devotus inde eadem precatione eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat devoveri, cum secundum sollemnes precationes adiecisset, „prae se agere sese formidinem ac fugam caedemque ac cruorem, caelestium inferorum iras, contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium, locumque eundem suae pestis ac Gallorum ac Samnitium fore.“ — Liv. X, 28, 15—17.

51.

Illud adiciendum videtur, licere consuli dictatorique et praetori, cum legiones hostium devoveat, non utique se, sed quem velit ex legione Romana scripta civem devovere. Si is homo, qui devotus est, moritur, probe factum videri; ni moritur, tum signum septem pedes altum aut maius in terram defodi et piaculum hostiam caedi; ubi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum escendere fas non esse. Sin autem sese devovere volet, sicuti Decius devovit, ni moritur, neque suum neque publicum divinum pure faciet, sive hostia sive quo alio volet. Qui sese devoverit, Vulcano arma sive cui alii divo vovere volet, ius est. Telo, super quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est; si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri. — Liv. VIII, 10, 11—14.

52.

Est autem carmen huius modi, quo di evocantur, cum oppugnatione civitas cingitur:

49. Est formula devotionis Decii maioris.

pro republica Quiritium] Gron. ante *Quiritium* addidit *populi Romani.*

50. Agitur de devotione Decii minoris. Cf. ad hunc locum, quae dixi in *Quaestt. de libr. pont.* p. 36.

infernorum Paris. et recc. — *contacturum* libri recc., *contracturum* Med., Paris., alii.

51. Agitur hoc loco de devotione, quam dicere possis substitutivam. Quamquam cur hunc locum in fragmentis commentariorum pontificum numerem, iam in *Quaestt. de libr. pont.* p. 36 explicavi, tamen hic repeto. Tale novum genus devotionis non sine pontificum auctoritate institui potuisse nemo negat. Verba autem fero eadem, quae pontifices in decreto suo adhibuerant, hic legi, suspicor, et quod Livius VIII, 11, 1 dicit se ea verbis ipsis ut „tradita nuncupataque“ sint referre, et quod ipsum verbum nuncupandi, secundum Festum p. 173 in sacris potissimum sollemne, aeque ac illa „probe factum videri“, „fas non esse“, „divinum pure faciet“ sacerdotalem disciplinam sapiunt.

pure faciet, sive hostia sive quo alio volet. Qui sese devoverit, Vulcano arma sive cui alii divo vovere volet, ius est Madvig. In codd. leguntur verba *sive hostia sive quo alio volet* post *vovere volet.* Ceterum praebet cod. Med. *alii diu * uouere* (*diuo uouere* man. sec.), cod. Paris. *alii diu eo uouere.* Verba *sive hostia . . . . volet* om. Harleianus I, Leidensis I, recc. codd. — *marti suouetauribus* Harleianus I et Leidensis I; *martis uoluetaurilibus* Med.

„Si deus si dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime, ille qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor venerorque veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginiensem deseratis, loca templa sacra urbemque eorum relinquatis absque his abeatis eique populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis proditique Romam ad me meosque veniatis, nostraque vobis loca templa sacra urbs acceptior probatiorque sit, mihique populoque Romano militibusque meis praepositi sitis ut sciamus intellegamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.“ — Macrob. Sat. III, 9, 7. 8.

52.A.

Secundum disciplinam carminis Romani, quo ex urbibus hostium deos ante evocare solebant, hoc dixit; erant enim inter cetera carminis verba haec: „Eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem iniciatis.“ — Serv. Aen. II, 244.

53.

Urbes vero exercitusque sic devoventur iam numinibus evocatis, sed dictatores imperatoresque soli possunt devovere his verbis:

„Dis pater, Veiovis, Manes, sive quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem exercitumque, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis, quique adversum legiones exercitumque nostrum arma telaque ferent, uti vos eum exercitum, eos hostes eosque homines, urbes agrosque eorum et qui in his locis regionibusque, agris urbibusve habitant, abducatis, lumine supero privetis exercitumque hostium, urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosque, capita aetatesque eorum devotas consecratasque habeatis ollis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes devoti. Eosque ego vicarios pro me, fide magistratuque meo, pro populo Romano, exercitibus legionibusque nostris do devoveo, ut me meamque fidem imperiumque, legiones exercitumque nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene salvos siritis esse. Si haec ita faxitis, ut ego sciam, sentiam intellegamque, tunc quisquis hoc votum faxit, ubi faxit, recte factum esto ovibus atris tribus. Tellus mater, teque, Iuppiter, obtestor.“

Cum Tellurem dicit, manibus terram tangit: cum Iovem dicit, manus ad caelum tollit: cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit. — Macrob. Sat. III, 9, 9 sqq.

54.

Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent, ni pollucerent. — Cass. Hem. ap. Plin. nat. hist. XXXII, 2, 20.

55.

Coruncanius ruminalis hostias, donec bidentes fierent, puras negavit. — Plin. nat. hist. VIII, 51, 206.

---

52. De hoc fragmento et duobus, quae sequuntur, dixi in *Quaestt. de libr. pont.* p. 37.

civitati metum formidinem] *metum* cod. Paris. om. — *ad me meosque]* cod. Salisburg. exhibet *ad me nosque.* — *mihique* vulgo; *mihi quoque* cod. Bamberg. deleto *quo.*

53. *pater, Veiovis]* codd. Anglicus (Cantabrig.) et Med. III. praebent *pater ve iovis,* Bamberg. et Gudianus *paterve iovis,* Paris. *pater vel iovis.* — *sive vos quo* Paris. — *abducatis] abdicatis* cod. Paris. — Pro *do devoveo* habet cod. Anglic. *deo devoveo.* — *siritis] sinetis* Bamberg.; *siveritis* Paris. sec. man.

54. *pollucerent* Scaliger; *polluerint* codd. Vossianus, Riccardianus, Chiffletianus; *polluerent* cod. Riccardiani repetitio et unus Parisiensis; *pollincerent* codd. Barbari; *pollucerent, polluceret* margo ed. Victor.; *pollucerentur* ed. Dalecampiana.

55. Coruncanius pontifex intellegendus est.

56.

. . . . cum constet, supernos deos impari gaudere numero, infernos vero pari . . . . . Quod etiam pontificales indicant libri. — Serv. Ecl. V, 66.

De sacris privatis.

57.

Cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiceretur. — Serv. Aen. XII, 603.

58.

Itaque in Numae Pompili regis legibus scriptum esse: „Si hominem fulmen Iovis occisit, ne supra genua tollito.“ Et alibi: „Homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet.“ — Fest. p. 178.

59.

Ab eo, quom Romanus combustus est, si in sepulcrum eius abiecta glaeba non est, aut si os exceptum est mortui ad familiam purgandam, donec in purgando humo est opertus (ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit), familia funesta manet. — Varro de lingua lat. V, 23.

59. A.

Quod nunc communiter in omnibus sepultis venit usu, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contexerat, eumque morem ius pontificale confirmat. Nam prius quam in os iniecta glaeba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta glaeba tumulus [et humatus est ex glaeba] vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. — Cic. de legg. II, §. 57.

60.

Vino rogum ne respargito. — Lex Numae apud Plin. n. h. XIV, 12, 88.

61.

Everriator vocatur, qui iure accepta hereditate iusta facere defuncto debet, qui si non fecerit, seu quid in ea re turbatur, suo capite luat. — Paul. p. 77.

62.

In eo, qui in nave necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret; porcam heredi esse contractam et habendas triduum ferias [et porco femina piaculum pati]; si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias. — Cic. de legg. II, §. 57.

63. A.

Decretum a pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulcrum. — Cic. de legg. II, §. 58.

---

58. *fulmen Iovis* pro *fulminibus* Scaliger. — *occisit* = occiderit.

59. A *venit usu, ut humati* Moser; *penitus humati* codd. Leid.; *ponitur ut humati* Turnebus; *usu venit, ut humati* Tur. — *contexerat* Feldhuegel et Madvig; *conterat* codd. Voss. pr. m., Heins. sec. m.; *conteret* Heins. p. m.; *contegerat* Voss. sec. m.; *contegeret* odd. — *in os* Turneb.; *in eos* codd. Leid. — *tumulus [et humatus est ex gleba] vocatur* Vahlen; *tumulis et humatus est et gleba vocatur* codd. Vossiani, (sed partim in rasura); *tum et illis humatus est et gleba vocatur* cod. Heinsianus; *tumulus, ubi humatus est, ex gleba vocatur* Madvig.

61. *iure accepta] accepta iure* cod. Monac. — *qui* cod. Guelf., Ald., mg. Ant. Aug.; *et qui* cod. Monac., *quae* cod. Lips.; ut vg. et Lindem.

62. P. Mucius est pontifex maximus, cuius responsum etiam supra (fr. 42) legitur. — *necatus* codd. aliquot deteriores; *vocatus* Leidenses. — *in mari proiectus esse* Leid. — *quod os] quotos* Leid. — *extare* Leid. — *esset contractam* Leid. — *contractam et* Mercerus; *contracet* cod. Heins.; *contracen* codd. Voss.; *contractam* alii. — Verba uncis inclusa spuria esse indicaverunt Rathius et Feldhuegel.

63. B.

Statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari. — Cic. de legg. II, §. 58.

De sacris publicis.

64. A.

Iure pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint . . . . Et pontifices ita precabantur: „Iuppiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris." — Serv. A. II, 351.

64. B.

Verum nomen eius numinis, quod urbi Romae praeesset, sciri, sacrorum lege prohibetur. — Serv. Georg. I, 498.

64. C.

Verum numen, quod urbi praeest, sacrorum lege prohibitum est scire. — Schol. Bernens. ad Verg. Georg. I, 498.

65. A.

Numa Pompilius statuit, cum, qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse. — Paul. p. 368.

65. B.

Εἰ δέ τις ἀφανίσειεν ἢ μεταθείη τοὺς ὅρους, ἱερὸν ἐνομοθέτησεν (sc. *Νουμᾶς*) *εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν τούτων τι διαπραξάμενον.* — Dion. Hal. II, 74.

66. A.

Testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: „Pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere." Esse etiam Pompili regis legem opimorum spoliorum talem: „Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Iovi Feretrio bovem caedito; qui cepit, aeris CCC darier oportet. Secunda spolia, in Martis aram in campo solitaurilia utra voluerit caedito. [Qui cepit, ei aeris CC dato.] Tertia spolia, Ianui Quirino agnum marem caedito, C qui ceperit, ex aere dato. Cuius auspicio capta, dis piaculum dato. — Fest. p. 189.

66. B.

Καίτοι φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νομᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν, τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα τῷ φερετρίῳ Διὶ κελεύοντα καθιεροῦν, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρει, τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ, καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τριακόσια τὸν πρῶτον, τὸν δὲ δεύτερον διακόσια, τὸν δὲ τρίτον ἑκατόν. — Plutarch. Marcell. 8.

67.

Decrevere item pontifices, ut virgines ter novenae per urbem euntes carmen canerent. — Liv. XXVII, 37.

68.

Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri. — Cic. de rep. II, 31, 54.

---

63. B. Collegium pontificum intellegendum.

66. A. Muellerum secutus sum, qui nisus emendationibus Scaligeri et Ursini sic mihi videtur optime locum restituisse. — *bove* Ant. Aug. in mg.; *bovem* cod. — *Pompili regis* emend. A. Aug. in mg.; *compelli reges* cod. — *capiuntur* . . . . *oportet] capiuntur, Iovi Feretrio darier oporteat et bovem caedito, qui cepit aeris CC* cod. Verba *darier oporteat* ad *aeris CC* ponenda esse viderunt Scaliger et Ursinus. — *aeris CCC* correxit Urs. pro *aeris CC.* — Verba uncis inclusa addenda esse monuit Urs. — *Ianui] Iano* Ald., vg., Urs. in mg. — Verba: *cuius auspicio* . . . . *dato* omitt. vg.

66. B. *διακόσια* Amiotus Xylander, quod cum re ipsa probabile est, tum eo quod cod. Paris. A numerum indicat per *σ'*; *ὀγδοήκοντα* libri.

67. *item*, scil. ut haruspices ob turpe quoddam prodigium.

Singularia verba pontificalia.*)

A. Singularia verba, quae ad sacerdotes spectant.

69.

Numa Pompilius et ipse de pontificalibus scribens tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tutabant, cum ad sacrificium accessent. — Fulgentius p. 561 s. v. Tutulus.

70. A.

Pontifices ita precabantur: „Iuppiter optime maxime sive quo alio nomine te appellari volueris.“ — Serv. A. II, 351.

70. B.

„Quisquis es“ secundum pontificum morem, qui sic precantur: „Iuppiter omnipotens vel quo alio nomine appellari volueris.“ — Serv. A. IV, 577.

71.

Item: „Vigilasne deum gens, [Aenea? vigila:]“ verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus. — Serv. A. II, 148.

72.

„Vigilasne deum gens?“ verba sunt sacrorum. Nam virgines Vestae certa die ibant ad regem sacrorum et dicebant: „Vigilasne rex? vigila.“ — Serv. A. X, 228.

B. Verba singularia, quae ad loca spectant.

73.

Posimerium pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur. — Paul. p. 248.

74.

Sancta loca [undique saepta doce]nt pontifici libri, in quibus [scriptum est: Templum]que sedemque tescumque [sive deo sive deae] dedicaverit, ubi ac[cipiat volentes] propitiosque. — Fest. p. 356.

75.

Nesi pro sine positum [est in lege dedicationis arae] Dianae Aventinen[sis]. — Fest. p. 165.

C. Verba singularia, quae ad tempora spectant.

76.

Sementinae feriae dies is, qui a pontificibus dictus; appellatus a semente, quod sationis causa susceptae. — Varro de l. l. VI, 26.

77.

Masurius etiam secundo Fastorum: „Liberalium dies,“ inquit, „a pontificibus agonium Martiale appellatur.“ — Macrob. Sat. I, 4, 15.

---

*) Cf. quae de his protuli in *Quaestt. de libr. pont.* p. 44 sqq.

70. B. *appellari* scripsi cl. priore loco; Lion praebet *appellare*. Cf. etiam fr. 64. A.

71. Serv. h. l. non tam verba pontificis maximi affert ut puto, quam verba Vergilii, quae illis certe similia fuerunt. Cf. meas *Quaestt. de libr. pont.* p. 46.

74. Agitur de locis, quae tesca vocantur. Quae uncis includuntur, in cod. desunt. — *pontifici* scribendum censet Mueller pro codicis *pontificis*.

75. Locum in codice mutilatum suppleverunt Scal. et Ursin.

76. *susceptae* vg.; *suscepta* codd.

77. Cf. Varro de l. l. VI, 14.

D. Singularia verba ad sacrorum rationem spectantia.

a. Instrumenta.

78. A.

Scena ab alis, a quibusdam sacena appellatur, dolabra pontificalis. — Fest. p. 318.

78. B.

Scenam genus [fuisse ferri] manifestum est, sed utrum securis an dolabra sit ambigitur. Quam Cincius in libro, qui est ei de verbis priscis, dolabram ait esse pontificiam. — Cinc. ap. Fest. p. 330.

79.

Secespita est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento auroque, fixa clavis aeneis, quo flamines, flaminicae, virgines pontificesque ad sacrificia utuntur eaque iam sacra est. — Serv. A. IV, 262.

80.

Malluvium lacum in commentario sacrorum significat, manus qui lavent, a quo malluviae dicuntur, quibus manus sunt lautae, perinde ut quibus pedes, pelluviae. — Fest. p. 161.

81.

Persillum vocant sacerdotes rudusculum picatum, ex quo flamen Portunalis arma Quirini unguet. — Fest. p. 217.

b. Res, quae offeruntur.

82.

Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X. commentari iuris pontifici, cui aqua admixta est defrutumve aut igne tactum est, mustumve antequam defervescat. — Fest. p. 348.

83.

Tauri verbenaeque in commentario sacrorum significat ficta farinacea. — Fest. p. 360.

84.

Fitilla.

85.

Frumen.

86.

Africia.

87.

Gratilla.

---

78. A. *scena* cod., vg.; *scaena* Urs. — *alis* cod.; *altis* Urs., vg.

78. B. Quae uncis includuntur, desunt in cod. — *utrum* corr. Ant. Aug. in mg., Urs.; *futurum* cod. — *ei* cod.; *II* sive *secundus* corr. Ant. Aug. in mg., Urs.

79. Cf. Antist. Lab. ap. Fest. p. 348 ex Paulo, ut videtur, suppletum. Paul. pp. 336 et 349.

80. *lacum* correxit Mueller; *latum* cod. — *Commentario* lego cum Ant. Aug. pro *commentarium*. — *lavent* Mueller, *lavet* cod. — Ceterum num etiam *malluviae* verbum pontificale sit dubium est.

81. *Rudusculum* coni. Scaliger; *rudiculum* cod. — *ex quo* cum Scaligero scribo pro simplici *quo*. Ceterum confer ad hunc locum Paul. p. 216. — *arma Quirini* edidit Muellerus; *arm quirini* cod. secundum Henrici Keilii (Mus. Rh. VI) collationem. — *unguet*] Sic etiam Vegetium scripsisse Muellerus adnotat.

82. *defrutumve* vg. et sic correxit Urs.; *de fructum ve* cod.

84.—90. Sumpta haec fragmenta sunt ex Arnobio (adv. nat. VII, 24): „Quid sibi reliqua haec volunt magorum cohaerentia disciplinis, quae in sacrorum reconditis legibus pontificalia instituere

88.

Catumeum.

89.

Cumspolium (?)

90.

Cubula.

91.

Secivum libum est, quod secespita secatur. — Paul. p. 349.

92.

„Sparge **molam**“ far et salem. Hoc nomen de sacris tractum est; far enim pium i. e. mola casta, salsa, utrumque enim idem significat, ita fit etc. .... igitur quod in sacris **mola casta** dicitur, ideo Virgilius in quinto Aeneidis farre pio enuntiavit etc. — Serv. Ecl. VIII, 82.

93.

Offa autem **penita** est, cum particula visceris cauda pecoris amputata. — Arnob. VII, 24.

94.

Polimen.

95.

Omentum.

96.

Palasea, plasea.

97.

Strebula.

98.

Pulpamenta.

99.

Salsamina.

100.

Fendicae.

101.

Rumae.

(sic Reifferscheidius suspicatur pro *restituere*) mysteria et rebus inseruere divinis? ...... Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, cumspolium, cubula? Ex quibus duo, quae prima sunt, pultium nomina, sed genere et qualitate diversa, series vero quae sequitur, liborum significationes continet; et ipsis enim non est una eademque formatio.“

89. *conspolium* Sabaeus dedit in hoc loco Arnobiano.

91. *Secivum* inter verba pontificalia recepi, quia secespita a secando dicitur, quo instrumento pontifices utebantur secundum *fr.* 79 (= Serv. A. IV, 262).

92. Sume pro pontificali verbo tantum *molam* vel *molam castam*; nam *sparge* poetae est.

93. Conferendum est initium capitis citati, ubi Arnobius de pontificalibus mysteriis verba facit. — *penita*] *pennita* cod. Paris.

94—96. Vide Arnob. VII, 24: „Ex quibus est omentum (sic cum Reiffersch. lego pro *nomen omenti*) pars quaedam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur; bovis cauda est plasea siligine et sanguine delibuta, polimina porro sunt ea, quae nos proles verecundius dicimus, a volgaribus autem adsolent cognomine testium nuncupari.“

97. Cf. Fest. p. 313 et Varr. de l. l. VII, 67.

Ad fr. 97—101 vide Arnob. VII, 24: „Non enim placet carnem strebulam nominare, quae taurorum ex coxendicibus demitur, pulpamenta non assa, quae in veribus exta sunt, animata prunis

102.

Taedae (?)

103.

Neniae.

104.

Apexaones.

105.

Hirciae.

106.

Silicernia.

107.

Longavi.

108.

Magmenta.

109.

Augmina.

110.

Aries, quod eum dicebant ἀρὴν veteres, nostri arviga, hinc arvignus. Haec sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru cocuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus. In hostiis eam dicunt arvigam, quae cornua habeat. — Varro de l. l. V, 98.

111.

Nigidius in libro, quem de extis composuit, bidentes appellari ait non oves solas, sed omnes bimas hostias ...... scriptum invenimus in commentariis quibusdam ad ius pon-

---

(sic Reiff. pro *prius*) et torrefacta carbonibus, non salsamina denique, quae sunt una commixtio quadrimis copulata de frugibus; non similiter fendicas, quae et ipsae sunt hirae, quas plebis oratio illas solet, cum eloquitur, nuncupare; non ratione eadem et rumas (sic Baluzius pro codd. *aerumnas*), quae sunt prima in gurgulionibus capita, qua (sic Gelenius dedit pro cod. Paris. *quae*) deicere cibos et referre natura est ruminatoribus saeculis.

102. 103. Vide Arnob. l. c. et confer ad vocem „naeniae" Paul. p. 163: „Quidam aiunt, naeniae ductum nomen ab extremi intestini vocabulo; Graeci enim νέατον extremum dicunt."

104—107. Vide Arnob. l. c.: „Quid," inquam, „sibi haec volunt, apexaones, hirciae, silicernia, longavi, quae sunt nomina et tarciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus." — *apexabones* Hildebrand. — *hirciae] issicia* Sabaeus. — *longavi* Salmas.; *longaevi* cod. Paris.; *longavo* Sab.

Ad fr. 108 et 109 velim conferas Varr. de l. l. V, 112: „Augumentum, quod ex immolata hostia desectum in iecore in porriciendo augendi causa. Magmentum a magis, quod ad religionem magis pertinet; itaque propter hoc magmentaria fana instituta locis certis, quo id imponeretur." — Augumentum vero fere idem esse atque augmen elucet.

110. *arviga] ariuga* cod. Florent. — *arvignus* vg.; *ariugas* Flor. et Paris. 1.; *arvigas* Goth. et Havn. — *Haec* antique dictum pro *hae* adnotat Mueller., comparans Varr. V, 137: s. v. falces: „Haec in Campania seculae a secando." Referendum est illud „haec" ad arvigas hostias. — *quarum* Lindem. eumque secutus Mueller.; *quorum* codd. — *cocuntur* scripsit Mueller.; *coquuntur* codd. — *arvigam* Mueller.; *ariugem* cod. Flor.; *arvigem* cett. codd.

111. Sane non haec expositio etymologica ad ipsos pontifices referendum est, sed ex illa mentione commentariorum ad ius pontificium pertinentium cum magna veri specie concludi potest, vocem bidentis esse pontificalem. Omnino eadem tradit, eisdem auctoribus nisus, Macrobius VI, 9, 5. 6, qui ex Gellio videtur exscripsisse. Cf. etiam Serv. A. IV, 57.

tificum pertinentibus, bidennes primo dictas, d litera immissa, quasi biennes, tum longo usu loquendi corruptam vocem esse et ex bidennibus bidentes factum. — Gell. XVI, 6, 12. 13.

112.

Quam (scil. intonsam bidentem) pontifices altilaneam vocant. — Serv. A. XII, 170.

113.

Eximii quoque in sacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen est. Veranius enim in pontificalibus quaestionibus docet eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximantur e grege vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur. — Macrob. Sat. III, 5, 6.

114.

Etiam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis et haec agnus, haec porcus. — Fest. p. 286.

115.

Sciendum quod ficus alba ex felicibus sit arboribus, contra nigra ex infelicibus. Docent nos utrumque pontifices. Ait enim Veranius de verbis pontificalibus: „Felices arbores putantur esse quercus aesculus ilex suberies fagus corylus sorbus, ficus alba, pirus malus vitis prunus cornus lotus. — Macrob. Sat. III, 20, 2.

c. Verba ad actiones sacras spectantia.

116.

Subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur. — Fest. p. 351.

117.

„Supponunt cultros" i. e. victimas caedunt. Fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabantur. — Serv. A. VI, 248.

118.

„Fumantia reddimus exta"; sacerdotum usus est verbo. Reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur. — Serv. Georg. II, 194.

119.

Pateram perplovere in sacris cum dicitur, significat pertusam esse. — Fest. p. 250.

120.

Mactant; verbum sacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum, unde et magmentum dicebant, quasi maius augmentum. Olim enim hostiae immolatae dicebantur mola salsa tactae: cum vero ictae et aliquid ex illis in aram datum, mactatae dicebantur [per laudationem,] per boni ominis significationem, ut adolere; nam mactare est proprie magis augere. — Serv. A. IV, 57.

---

113. Cf. Paul. p. 82. De nomine auctoris codices fluctuant inter *Veranius*, *Veracius*, *Veratius*; sed *Veranius* habet Bamberg. sec. man.

114. *hic ovis* cf. Paul. p. 195. — *haec agnus* cf. Paul. p. 6. — *haec porcus* correxit Ursinus; *ac porcus* cod.

115. *suberies] subertus* cod. Paris. — Ceterum confer Tarquitii Prisci haruspicis definitionem arborum infelicium eodem loco traditam.

116. *eodem libro*, scil. in commentario XV. iuris pontificii.

119. Phrasis haec haud scio an sumpta sit ex aliquo praecepto sacro, quo imperabatur expiatio, „cum patera perploveret" i. e. perplueret.

120. Verba „per laudationem" ut sensum turbantia uncis inclusi cum Lionio, qui praeterea omnia verba inde ab „quasi" usque ad „significationem" uncis inclusit. — Ceterum fere idem adnotat Servius ad Aen. VI, 248.

121. A.

Porricere.

Et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est, sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi executus est: „Exta porriciunto, dis danto, in altaria aramve focumve eove quo exta dari debebunt.“ Porricere ergo, non proicere proprium sacrificii verbum est. — Macrob. Sat. III, 2, 3. 4.

121. B.

Sic quoque exta deis cum dabant, porricere dicebant. — Varro de re rust. I, 29 extr.

122.

Videtur sane peritia iuris pontificalis animalis hostiae mentionem fecisse, cum dicit: „Animaque litandum Argolica“. Nam et animam dixit et litare verbo pontificali usus [est, i. e.] sacrificiis deos placare. — Serv. Aen. II, 118.

123. A.

In sacris autem [*κατ' εὐφημισμὸν*] adolere per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur et consumuntur. — Serv. Aen. I, 704.

123. B.

Adole in hoc loco „auge“ et „cumula“ significat. Est autem proprie verbum sacra reddentium, quibusdam scilicet votis et precibus auctius numen facere. — Schol. Bern. Append. ad Verg. Ecl. VIII, 65.

123. C.

Adole incende, sed *κατ' εὐφημισμὸν* dicitur, nam adole est auge. — Serv. Ecl. VIII, 65.

124. A.

Φεβρουᾶρι τὸ καθᾶραι τὰ ποντιφικάλια βιβλία καλεῖ, Φέβρουον τὸν Πλούτωνα. — Lydus de mensibus IV, 20.

124. B.

Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia februatio, ut in antiquitatum libris demonstravi. — Varro de l. l. VI, 13.

125.

Primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est: „Vitulari, de cuius verbi significatu Titius ita rettulit: „Vitulari est voce laetari.“ Varro etiam in libro quinto decimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci *παιανίζειν* vocant. — Macrob. Sat. III, 2, 11.

---

121. A. *dis danto* refinxit Pontanus; *dis tanto* cod. Cantabr. et Bamberg. in mg.; *dis tato* Bamberg.; *dis dando* Paris.

121. B. Cf. Paul. p. 219: „Porriciam porro iaciam.“

122. Cf. Macrobii (III, 5, 4) verba ad eundem locum Vergilianum: „Nam et animam, id est hostiae nomen, posuit et litare, quod significat sacrificio facto placasse numen.“

123. B. et C. Errat Servius dicens, „adole“ esse „auge“. Sed recte idem vertit per „incende“. Nam verbum adolendi, derivandum a verbo olendi, significat aliquid cum odore quodam cremare. Itaque adolendi verbum sacrorum est factum, quoniam diis ex sacrificiis nihil nisi nidor vel, ut Graeci dicunt, *κνίσσα*, obtingebat. Cf. Doederlein, *Lat. Synon.* IV, 254.

124. B. *Februum* cod. Florent.; *februm* Goth., Havn., Paris. II; *febrium* Paris. I. — *nam et* vg.; *non et* codd. — Ceterum confer Varr. de l. l. VI, 34.

125. Pro *Titius* coniecit Merkel ad Ovid. Fast. prolegg. LXXVI: *Cingius*, putans, haec esse sumpta ex L. Cincii libris de verbis priscis. Consentit M. Hertz de L. Cinciis p. 85. — *παιανίζειν vocant]* pro his verbis in cod. Paris. lacuna fere decem litterarum est.

126.

Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere. Quod Antistius Labeo ait in commentario XV. iuris pontifici, fana sistere esse lectisternia certis locis et dis habere. — Fest. p. 351.

127.

„In medio mihi Caesar erit templumque tenebit“ i. e. ipsi templum dabo. Et verbo usus est pontificali. Nam qui templum dicabat postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab illo necesse fuerat iam teneri et ab humano iure discedere. Quod autem dicit „in medio“, eius templum fore significat. Nam ei semper sacratus numini locus est, cuius simulacrum in medio collocatur: alia enim tantum ad ornatum pertinent. — Serv. Georg. III, 16.

128.

Proculiunt promittunt ait significare Antistius de iure pontificali l. VIIII. — Fest. p. 253.

129.

Haec vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, damnatus autem, qui promissa vota iam solvit. — Macrob. Sat. III, 2, 6.

130.

Venia.

Et proprie verbum pontificale est (sc. venia); unde est (Aen. IV, 50): „Tu modo posce deos veniam“. Et paulo post: „Pacemque per aras exquirunt“. Dicta autem venia ad eliciendam misericordiam. Meretur enim benevolentiam numinum, qui, licet innocens sit, veniam tamen, tamquam peccaverit, petit. — Serv. Aen. I, 519.

131.

Prox.

Prox, bona vox, velut quidam † praesignificare videtur, ut ait Labeo de iure pontificio l. XI. — Fest. p. 253.

d. Nonnullae sententiolae in sacris sollemnes, quae expressis verbis pontificales dicuntur.

132. A.

Ut in pontificalibus: „Favete linguis“. — Schol. Bern. ad Verg. Georg. IV, 230.

132. B.

Ut in sacris: „Favete linguis“. — Serv. Aen. VIII, 173.

133.

„Parcito linguam“ in sacrificiis dicebatur, id est coerceto, contineto, taceto. — Paul. p. 222.

---

126. *quod* vg.; *quam* cod.

127. *illo* codd.; *alto* Lion.

129. *sacrorum] sacrarum* cod. Bamberg. — *iam] tā* in rasura in cod. Paris.

131. Locus corruptus. *praesignificare* cod.; *putant significare* corr. Urs. cum vg. Sed sic obscuritatem loci non tolli recte dicit Muellerus, qui Paulo p. 252 comparato suspicatur nonnulla verba excidisse inter *velut* et *quidam*. Fortasse scripsit Festus: „bona vox vel, ut quidam (suppl. dicunt), proba vox significare videtur.“ An in *prae* syllaba latet *prex*?

132. B. „favete vocibus,“ quae verba Servius addit post „linguis“, explicationis vice fungi puto.

134.

„Tura dabant;“ dabant, verbo sacrorum usus est. Nam dici solebat in sacris: „Da, quod debes, de manu dextra aris.“ — Serv. Aen. VIII, 106.

e. Sententiolae nonnullae ex precationibus quibusdam sumptae.

135.

In precatione dici solet: „Ut melius iuvent, melius fortunent.“ — Serv. Aen. XII, 178.

136.

Ut in sacrificiis: „Uti volens propitiusque.“ — Serv. Aen. III, 457.

137. A.

In pontificalibus sacrificantes dicebant deo: „Macte hoc vino inferio esto.“ — Serv. Aen. IX, 641.

137. B.

Operae pretium est, etiam verba ipsa depromere, quibus cum vinum datur, uti ac supplicare consuetudo est: „Mactus hoc vino inferio esto.“ — Arnob. adv. nat. VII, 31.

---

137. A. Confer etiam Cat. de re rust. 132, 1: „Macte vino inferio esto.“